Frydrychowicz Dominici: Tractatus theologicus de divina scientia, ideis, veritate ac vita increata.

TRACTATUS
THEOLOGICVS,
DE DIVINA SCIENTIA, IDEIS, VERITATE, AC VITA INCREATA, COMPOSITUS,

Juxta D. THOMÆ AQVINATIS,
Quinti Ecclesiæ Doctoris,
Angelicam Sententiam,
DETERMINATUS,
Ex Vastissimis Theologicis Disputationibus,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,

D. PETRI DE GODOY,

EPISCOPI OXOMENSIS, SALMATICENSIS VNIVERSITATIS CANcellarij, Primariæq; Cathedræ in eadem Moderatoris, Serenissimi Hispaniarum REGIS Ordinarij Concionatoris, Prædicatorum Ordinis,

EXCERPTUS,

A. R. PATRI, S. TH: PRÆSENTATO,

P. NICOLAO OBORSKI,

Conventus Cracovieñ: Priori Dignissimo,
& per Contratam Minoris Poloniæ VICARIO,
Generalis Studij eiusdem Provinciæ Poloniæ
Actuali S. Theol: Professori, ac Ordinario Baccalaureo,

A

R. P. F. DOMINICO FRYDRYCHOWICZ,
S. Th: Præsentato, eiusdem Generalis Studij Regente,
Stylo quò compendiosiori, eò Affectu extensiori,

CONSIGNATVS.

Anno Cogniti in terris Incarnati DEI, 1690.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.


VIRTVTI
ECCLESIÆ
PATRIÆ
Ioh. Sti. fecit

Adm: Rñde PATER PRIOR DIGNISSIME,

P. & CONPROFESSOR OBSERVANDISSIME.

Coronatæ COLVMNÆ MAIESTATI ac PONDERI, conclusa intra cæli terræq; ambitum elogia sufficere posse, nequaquam decernere audeo; dùm illa NON HIC VLTIMA *transeuntis laudis ac felicitatis stabiliendo fundamenta, etiam supremam ipsius Scientiæ Divinæ imitatur Præeminentiam. Porrò Scientia Divina* NON PLVS VLTRA *Essentiæ Divinæ, omniumq; in ipsa præcontentorum sese porrigit circumferentiam; & Coronata per Gratiam COLVMNA,* NON PLVS VLTRA *Auream Gloriæ Beatæ sese attollit Coronam. Scientia Divina* OMNIA SIMVL, *quæ volubilis temporis agitantur cursu intuetur; & Coronata COLVMNA nitidissimo Aquilæ Sarmaticæ (intra cuius pectoris Maiestatem per Serenissimum* SIGISMVNDVM AVGVSTVM *stabilita est) pupillà Prudentiæ Senatoriæ præditis oculis Uniuersam Reipublicæ quam adiuuat subleuatq; necessitatem, contemplatur. Scientia Divina* RECTITVDINE SVBSISTIT, *inuariabilem circa res [de futuro ad præsens, de præsenti ad præteritum transeuntes statum,] conservando vniformitatem; & Coronata COLVMNA* RECTITVDINE SVBSISTIT *Virtutum immutabili progressu, noua futuræ posteritati relinquendo vestigia heroica; ac antiqua Sublimium Antecessorum in se exprimendo exempla. Scientia Divina rebellantis creatæ voluntatis potentiâ* NEC FRANGITVR, NEC FLECTITVR *ab immobili inconcussorum Decretorum Prædestinata Sententia; & Coronata COLVMNA aduersæ Fortunæ ventis* NEC FRANGITVR, NEC FLECTITVR *blandientis sæculi lenociis. Scientia Divina* STAT MOLE SVA, *nullo fulcro cuiuscunq; cognitionis à rebus creatis mutuatæ*

)(2 *indi-*

159

indigens; & Coronata COLVMNA Stat Mole Sva alienorum honorum non emendicans coadiutoria. Scientia Divina Fvlcit & Ornat: Fulcit, quia eius mediante fæcunditate ÆTERNVS PATER similem in Substantia producit ac generat FILIVM, sine quo stare ac subsistere nequit: Ornat, quia omnia in pondere, numero, & mensura constituit; & Coronata COLVMNA Purpuras Cardinalitias, ArchiEpiscopales Gnesnenses Cruces, Posnanienses, Płocenses, Margaritenses, Laodicensesq; Tiaras Fvlcit, & Ornat Regalem Poloniæ Thronum per Serenissimam BONAM, Serenissimi SIGISMVNDI AVGVSTI Parentem. Scientia Divina Nocte Dieqve omnia gubernat, disponit, moderatur; & Coronata COLVMNA nunquam Reipublicæ Polonæ defuit, quam sive in die prosperitatis, sive in nocte calamitatis, armis, fortunis, honoribus, consiliorum efficaciâ, ac ipsâ deniq; vitâ pro Ecclesiæ ac Patriæ incolumitate morti sacrificata moderatur filialiter. Hæc est A. R. P. in Tua Coronata COLVMNA Divinæ Scientiæ Impressio, Proportio ac Imitatio. Quocirca Non Plvs Vltra Scientiam Divinam cùm Tuus desideret animus, ideò confidenter & audacter ad Tuam COLVMNAM Theologica de Scientia Divina appendo Theoremata. Et dum Tibi Coronatæ COLVMNÆ encomia (Pace Tuæ modestiæ) aggratulor: hanc quam Provanæ Viti Summus Pontifex MARTINVS V. supposuit ad firmitatem COLVMNAM, eandem Tu in Ecclesiæ, Patriæ, Ordinis, Provinciæ, Scholæ Thomisticæ, Tuiq; Conuentûs Nativi Cracoviensis supponas Fvlcimentvm & Ornamentvm; filialiter exopto.

A. R. P. V. Dignissimæ,

Exorator & Seruus in Christo,

F. Dominicvs Frydrychowicz,
S. T. P. Gen: Stud: Crac: Regens,
eiusdem Ordinis.

TRACTATUS THEOLOGICUS,

De Scientia, Ideis, Veritate, & Vita DEI.

IN DEO reperiri Scientiæ altitudinem, passim Diuinæ Paginæ attestantur oracula; & quidem *Primò* sub nomine perfectæ cognitionis: Iob enim 31. dicitur: *Nonne ipse considerat vias meas.* Psal. 137. *Excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Primæ ad Corinthios 2. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est: Ita & quæ Dei sunt nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei,* Secundò sub nomine speciali Scientiæ. Ester 14. dicitur: *Te Domine qui habes omnium Scientiam.* Psal. 138. *Mirabilis facta est Scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam.* Ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI.*

Et de hoc Scientiæ Diuinæ Attributo, tractat Doctor Angelicus in primo dist: 35. Ad Annibaldum in eadem dist: Quæst. 2. de veritate. Primò contra gentes, cap. 44. vsque ad 59. Et in P. P. Quæst. 14. post considerationem eorum quæ ad Diuinam Substantiam pertinent, rectissimâ methodo descendit ad considerationem eorum quæ pertinent ad operationem ipsius DEI. Et quia Operatio quædam est, quæ manet in operante: quædam verò procedit in exteriorem effectũ: ideo Doctor Sanctus priùs disputat de Scientia quæ manet in intelligente: & quia Intelligere, quoddam viuere est: ideo post considerationem Scientiæ Diuinæ tractat Diuus Thomas de Vita Dei; Et quia Scientia, Verorum est, ideo Præceptor Veritatis de Veritate & falsitate annectit Disputationem; Et tandem quia Omne cognitum in cognoscente est, rationes autem rerum, secundùm quòd sunt in DEO cognoscente, *Ideæ* Vocantur; ideò Aquinaticus Professor Tractatui de Scientia Diuina adiungit de Ideis Diuinis tractatum eruditissimum. De quorum omnium Tractatuum, Cognoscibilitate Theologica, sequentes ponimus cum suis probationibus Conclusiones.

DAri in Deö intellectuali, Scientiam ſumptam pro cognitione certa, euidenti, & ab omni imperfectione libera, eſt Veritas Catholica. Quia DEVS *Sapiens corde eſt*, Iob. 9. 2. Quia eſt naturæ viuentis, non vegetatiuæ, non ſenſitiuæ. Ergo Intellectiuæ 3. Eſt Agens non à caſu, ſed ex cognitione finis à ſe præſtiti. 4. Eſt ſummè Immaterialis: iam autem Immaterialitas eſt ratio, cur aliquid ſit cognoſcitiuum. 1. Partim quia Omne Immateriale, Subſtantiale, Radicale, eſt formaliter elicitiuum operationis radicaliter vt Quo: *primò* ad differentiam rei materialis quæ tantũ eſt, modo materiali ſuſceptiua aliarum formarum in linea Entis, non in linea Intelligibilis; *Secundò* ad differentiam Accidentalium immaterialium formarum; qualis eſt voluntas, intellectiua tantùm præſuppoſiuè quia præſupponit intellectum: & Intellectus Agens, intellectiuus Cauſatiuè antecedenter, quia depurat ſpecies à phantaſmatibus, ordinatas ad intellectionem: *Tertiò* ad differentiam Perſonarum Diuinarum Immaterialiſsimarum, quæ præſupponunt iam Naturam Diuinam Radicaliter Operatiuam, & à ſe virtualiter diſtinctam, vt pote Primordialem ſubſtantiam.

II. Partim quia per hoc differunt Cognoſcentia à non Cognoſcentibus: quia iſta Noncognoſcentia, modo materiali recipiendo aliorum formas tantùm Accidentales, eaſdem indiuidualiter realiter multiplicant: nam calor in ligno receptus, alius eſt realiter indiuidualiter, à calore qui eſt in igne; iam autem Cognoſcentia Perfecta, Angelus & Homo, Modo Repræſentatiuo recipiendo aliorum formas proprias tam Subſtantiales quam Accidentales, eaſdem non multiplicant indiuidualiter: quia eadem eſt natura in ſpecie intelligibili, quæ eſt in Obiecto: attamen eaſdem multiplicant Realiter, quia ſtatus Eſſendi Phyſicus & Naturalis, diuerſus eſt eſſentialiter à ſtatu Eſſe Intelligibilis & Repræſentatiuo: non tamen in natura repræſentata inducit diſtinctionem eſſentialem, quia naturæ conuenit Accidentaliter: ſicut albedo & nigredo eſſentialiter diſtinctæ, non diuerſificant eſſentialiter ſubiectum. Eſt autem inauditum apud Theologos quòd eadem Natura creata, ſeruatâ reali identitate, identificetur extremis realiter diſtinctis; qualia ſunt, ſtatus Phyſicus & ſtatus Repræſentatiuus. Et deinde Intellectus eſt actu intellectum, per formam intelligibilem, *conſtitutiuè formaliter:* ita quòd eadem eſt forma per quam obiectum redditur intelligibile, & per quam intellectus conſtituitur in actu; & ſic exparte formæ poteſt admitti. Intellectus actu intelligens eſt res actu intellecta *Identicè*; aſt ex parte ſubſtracti: ita, vt ipſe intellectus fiat res intel-

lecta:

jecta: Non; quia species Intelligibilis actuans intellectum, non potest identificari cum intellectu; *tum* quia Species Intelligibilis & intellectus, ab inuicem realiter separantur: *tum* quia Species Intelligibilis de Potentia intellectûs, realiter educitur: *tum* quia Essentia Diuina vnitur mentibus Beatorum in ratione speciei Intelligibilis, & tamen intellectus Beati, non potest realiter identificari cum Deo.

3. Partim quia implicat Contradictionem dari Substantiam Immaterialem, & non intellectiuam: *tum* quia implicat Substantia Immaterialis quæ capax non sit recipiendi formas aliarum rerum: *tum* quia implicat Substantiæ Immateriali conuenire vitam, & non intellectiuam: *tum* quia, sicut implicat substantia materialis (quale est Cælum Empyreum) non operatiua radicaliter, ita & Spiritualis Substantia Immaterialis non intellectiua, implicat. Vnde etiam Cælum Empyreum est Operatiuum vel Radicaliter vel Proximè: non tamen Actualiter influit, quia corpus, sine Motu non influit; iam autem Motus Empyreo, perpetuò quiescenti repugnat; Et quia Cælum Empyreum pro fine superiore respicit, vt deseruiat tanquam Palatium homini glorificato, ideo, adhuc potentia Operatiua illi collata non est frustra, ex fine superiore, ad quem Empyreum quoad Substantiam est ordinatum, & quia eius Substantiam, necessariò consequitur Potentia operatiua, (quæ frustratur fine proximo .s. Actuali operatione & influxu,) sine qua ipsa substantia Cæli esset imperfecta, consequenter perficiendo Substantiā Cæli Empyrei conducit, vt Cælum Empyrerum & sit in Palatium homini glorificato, & sit in Ministerium hominum (vt dicitur Deutoron: 4.) perpetuam quietem & perpetuitatem influendo in hæc inferiora, sine Motu.

II. DEI Cognitio est propriè scientia, contrapositiuè ad *Metaphoricè*: & ad *communiter*. Quia S. Scriptura non in Metaphorico sensu DEVM scientem affirmat. *Ratio secundi.* Quia Scientia communiter dicta est certa & euidens cognitio, quæ tam ad Principia quàm ad Conclusiones & ad omnia alia terminari potest: nec requirit vt omne quòd per illam scitur, per aliquid magis notum sciatur; etenim per scientiam communiter dictam, sciuntur Principia, & tamen ista, non habent aliquid prius & notius, per quod sciantur. Iam autem Scientia DEI est Conclusionum, cognitarum per aliquid magis notum ex parte Obiecti seu cognitorum, non autem ex parte Subiecti, .s. intellectûs Diuini, vnico actu Principia & Conclusiones attingentis. T. q. Scientia propriè sumpta est certa & euidens cognitio rei per Causam, & quòd illius est causa, & quòd aliter se habere non potest: iam autem id totum reperitur in Deo, vt potè importans perfectionem simpliciter simplicem. T. q. Sicut non est de ratione Omnis Scientiæ causari ex priori cognitione; sed tantùm de ratione Scientiæ à Principiis realiter distinctæ; ita tantùm de ratione scientiæ talis, à Principiis reliter distinctæ est, importare discursum formaliter ta-

lem, & DEO repugnantem : iam autem Non est de ratione scientiæ vt sic, importare discursum : vt patet in Angelis per suam Essentiam tanquam per Causam suas proprietates cognoscentibus scientifice ; *Vel* de ratione Scientiæ vt sic, & strictè sumptæ, est Discursus aut Formalis, aut Virtualis : iam autem Discursus Virtualis non repugnat Deo, sicut eiusdem perfectionibus Diuinis non repugnat Virtualis emanatio, .s. Attributorum ab Essentia : & ex parte Obiecti ad scientiam propriam sufficit Virtualis Obiectiua Causalitas : vt patet in Ente & eius proprietatibus. Ergo etiam ex parte subiecti .s. Dei cognoscentis sufficiens nec repugnans est Causalitas virtualis vnius cognitionis ab alia.

III. DEVS habet scientiam strictam suorum Attributorum Speculatiuam. Quia habet perfectissimam Sapientiam quæ scientia est, iudicans de rebus per altissimas causas. T. q. Ad rationem scientiæ à priori sufficit procedere per Causam virtualem in essendo ; iam autem, Attributa Diuina licet non habeant causam formalem, habent tamen Causam Virtualem, .s. ipsam Essentiam Diuinam, quam Cognitio Diuina simplicis Intelligentiæ seu Intellectûs Principiorum, attingit vt Radicem virtualem in ordine ad Attributa : quamuis non faciat distinctionem rationis inter Essentiam & Attributa, sicut illam non facit inter simplicis Intelligentiæ, & scientificæ attingentiæ cognitiones, licet inter se secundùm rationem distinctas. T. q. Ideo Attributa non possunt terminare puram Electionem, quia habent in se intrinsecam Bonitatem, ratione cuius possunt & petunt propter se amari : est autem de ratione Electionis puræ, vt Obiectum illius nullatenus propter se ametur ; quamuis sumpta electio inadæquatè, non sistens in Attributis, sed illa saltim propter finem virtualem amans, admitti possit. Ergo *è contra*, ideo Attributa terminare possunt strictam scientiam, quia habent in se intrinsecam veritatem, ratione cuius in seipsis cognoscantur.

IV. DEVS habet Scientiam Omnium Creaturarum, secundùm illarum Essentias, 2. proprietates : 3. etiam vt in singulari existentium. Quia de Creaturis Deus habet cognitionem euidentem & certam, per Causam Increatam, à qua dependent Omnes Creaturæ tanquam à Causa Efficiente, Finali, Exemplari : & quidem Creaturæ *Possibiles* dependentiâ signatâ : *Futuræ* seu Contingentes, dependentiâ exercitâ à Decreto : *Præsentes*, dependentiâ actuali, ab Omnipotentia Creante & Conseruante. T. q. Omnibus Creaturis conuenit transcendentaliter *Ratio Entis ab alio* : ideoque etiam Substantia, non *essentialiter constitutiuè* : sed *Transcendentaliter effectiuè* sub conceptu Entis dicit ordinem Extrinsecum ad Deum. *Ratio secundi*. Deus *ex parte obiecti* cognoscit Essentias rerum creatarum, esse Causas suarum proprietatum ; & *ex parte sui actus*, ab Essentiis creatis, non vt in se, sed vt in Dei Essentia contentis, mouetur ad ipsarum cognitionem. *Ratio tertij*. Sicut Voluntas Diuina non absolutè sumpta, sed vt

virtu-

virtualiter influens in Decretum, necessariò tanquam Causa virtualis, connectitur cum Decreto: & ratione huius necessariæ connexionis Decreta libera vt actu existentia, possunt terminare scientiam strictè sumptam; ita etiam Creaturæ in singulari existentes, eo modo quo Causam habent, connectuntur cum Decreto; ideoq; scientiam Diuinam possunt *Secundariò*, terminare, quam ipsa Decreta *Primariò* terminant; cùm etiam ex-suppositione Decretorum liberorum *quòd sint*, necessarium est illa esse, magis quàm Creaturas.

V. Scientia à posteriori non est in Deo constituenda. Quia ad illam requiritur Causalitas vel obiectiua vel subiectiua: & Deus vtriusque est incapax T. q. Deus ita cognoscit effectum in ordine ad Causam, quòd illius cognitio priùs terminetur ad Causam, & ex illa transeat ad effectum; non tamen è contra, ideoq; effectus non est ratio Diuinæ Cognitioni cognoscendi Causam; etenim Deus est Terminus dependentiæ creaturarum & Causa illarum in Essendo ac in Cognoscendo T. q. Deus Cognoscendo Creaturas, in illis seipsum cognoscit, vt ab illis imperfectè participatum, quod est Esse virtuale Diuinum: non verò vt ab illis, talis cognitio terminetur ad aliquam Diuinam intrinsecam formalitatem: quod est Esse Formale. T. q. ideo in Angelis datur scientia à posteriori, quia Cognitio effectuum, potest esse Angelo Causa Virtualis, Cognitionis Causæ: quòd in Deo implicat. Hinc Deus nec etiam per Attributa cognitione à posteriori, potest suam Essentiam cognoscere: *partim* quia Attributa sicut non sunt Causa Virtualis Diuinæ Essentiæ in Essendo, ita etiam nec in cognoscendo: *partim* ideo Deus ex Creaturis non habet cognitionem a posteriori, quia seipsum perfectissimè cognoscit ad ipsarum cognitionem; Etidem de Attributis respectu Essentiæ. *partim* quia Attributa vt virtualiter distincta, in ratione medij, non possunt adæquare Essentiam Diuinam. *Similiter* ob easdem rationes per Intellectualitatem à posteriori, non cognoscit Deus Immaterialitatem; sed è contra, à priori Intellectualitatem per Immaterialitatem.

VI. Datur in DEO facultas proximè intellectiua, ratione ratiocinatâ à Natura Dei, & ab actuali intellectione distincta. Quia sicut in Creaturis inter essentiam & operationem, cadit virtus media, differens ab vtroq; realiter: ita in Deo, differens ratione tantùm ratiocinatâ; ex eo, quòd Natura intellectualis, facultas proximè intellectiua, & Intellectio actualis, dicantur de Deo Analogicè. T. q. Quæ differunt definitione Adæquatâ, distinguuntur in Creaturis, & in Deo saltim ratione ratiocinatâ: Essentia & Natura differunt definitione inadæquatâ: Actus Liber & Necessarius, non distinctione *Essentiæ* sed *Terminationis*, & diuersi eiusdem Essentiæ exercitij distinctione discriminatur in Deo. Persona & Relatio in Creatis distinguuntur Realiter, & Essentialiter, quia Personalitas est quid absolutum: & hoc absolutum, quòd sit Incommunicabile, constituatq;

E perso-

personam, prouenit ex limitatione creata: iam autem in Deo Sola Relatio est Incommunicabilis, ideoq; Personalitas Diuina necessariò est Relatiua, ac perconsequens non potest à Relatione distingui *nec essentialiter* quia non potest esse quid absolutum; *nec virtualiter* quia quæ differunt in Creaturis Realiter ex ipsarum limitatione, translata in Deum, non differunt virtualiter; iam autem inter Naturam Intellectualem & facultatem proximè intellectiuam in Creatis, etsi Distinctio Realis ex limitatione proueniat: attamen Distinctio Essentialis nascitur ex ipsorum formalibus conceptibus, quæ translata in Deum, retinet distinctionem virtualem. T. q. Constitutiuum formale Distinctionis Realis in Creaturis, quod est verificatio duarum Contradictoriarum, non est necesse, quòd conueniat Prædicatis Virtualiter distinctis: vt supra diximus.

VII. Datur in DEO Principium Virtuale intellectionis essentialis. Quia ratio intellectûs, vt præscindit à creato & increato, consistit in ratione Principii proximi Intellectionis. T. q. Intellectus Diuinus distinguitur ab intellectione Actuali, Virtualiter. T. q. Ipsi Intellectioni Diuinæ, conuenit à Principio virtuali, egressus virtualis: sine imperfectione potentialitatis, quia actu implicitè intellectus Diuinus includit Intellectionem. Nam, Expressio vltimæ Actualitatis propriæ lineæ, debetur cuilibet perfectioni Diuinæ: sumptæ veluti *Specificè*: & sic vltima Actualitas radicis intelligendi metaphysicè illam constituens, est Conceptus radicis actualissimæ intelligendi; vltima Actualitas Potentiæ proximè intellectiuæ, est Conceptus Actualissimi Principii Proximi; iam autem Actualis Intellectio, est vltima actualitas in genere & linea intelligibili veluti *Genericè* sumpta, non autem veluti specificè; quia tamen Operatio vitalis est, de cuius conceptu est præsupponere Principium radicale & proximum, fit consequens, vt non pertineat ad quasi species Principij radicalis & proximi; ideoque sine expressione illius, Principium radicale & proximum, non intelligitur vt Potentiale.

VIII. Datur in DEO conceptus Potentiæ realis, realiter proximè intellectiuæ. Quia ab Actuali intellectione ad Potentiam intellectiuam, bona est Consequentia. T. q. Datur in Deo conceptus Naturæ realis, realiter intellectiuæ & volitiuæ, sine reali influxu in intellectionem & volitionem. Ergo pariter. T. q. Cui cum proprietate conuenit operari, eidem conuenit natura, non solum sumpta *pro Essentia*, sed etiam sumpta *pro Principio* operationum; iam autem Deo conuenit cum proprietate operari .i. vitali Operatione. T. q. In Deo, non est de ratione potentiæ realis realiter proximè intellectiuæ, quòd realiter distinguatur ab actu: Nam Potentia Generatiua & Spiratiua, est realis, respectu actuum notionalium; & tamen nulla istarum distinguitur ab actu generationis & spirationis, realiter: licet realiter distinguantur à termino: Natura Diuina est vera & realis radix & tamē sine distinctione reali à proprietatibus, & Personis; consequen-

ſequenter etiam Intellectus Diuinus erit principium Reale *Virtuale* non *Formale*, intellectionis eſſentialis,ſibi realiter non tamen virtualiter identificatæ.

IX. Datur in DEO vera ratio ſpeciei intelligibilis. 2. ex parte actus primi ad intellectionem concurrentis: 3. tam ab Eſſentia Diuina: 4. quã ab, ipſa intellectione, virtualem habens diſtinctionem. *Ratio primi.* Quia Eſſentia Diuina ſeipſam perfectiſsimè repræſentat Diuino intellectui; eidemque vnitur in linea Entitatiua ac Repræſentatiua, in quarum vtraque, eſt infinita; ſicut & mentibus Beatorum vnitur eadem Eſſentia Diuina, vt ſpecies & forma intelligibilis. *Ratio ſecundi.* Quia iuxta illud *Ab Obiecto & Potentia paritur notitia*: quo modo influit potentia in notitiam, eodem modo influit in eandẽ Obiectum, .ſ. mediante ſui ſpecie Intelligibili; ideoque ſicut intellectus Diuinus influit virtualiter elicitiuè in Diuinam intellectionem, ita Diuina Eſſentia ſub formalitate ſpeciei intelligibilis, Obiectiuè influit in eandem intellectionem. *Ratio tertij.* Quia ratio Eſſentiæ vel Naturæ, ratio ſpeciei intelligibilis, ratio intellectionis, de Deo & Creaturis dicuntur Analogicè; ideoque in Deo diſtinguuntur ratione ratiocinatâ ac virtualiter; & Quia ſicut ratio Obiecti Terminatiui (veritas) ab Eſſentia Diuina diſtinguitur virtualiter: ita & ratio Obiecti proximè Motiui, quod eſt ipſa ratio ſpeciei Intelligibilis. *Ratio quarti.* Quia Diuina Eſſentia vt ſpecies, exercet influxum ſpecificatiuum & effectiuum in Diuinam Intellectionem; iam autem virtualis influxus effectiuus vel ſpecificatiuus, virtualem inter extrema exigit diſtinctionem.

X. In DEO non datur Habitus ad intellectum vel voluntatem ſpectans. Quia Habitus de ſuo formali conceptu importat imperfectionem: *primò* quia pro ſubiecto poſtulat potentiam paſsiuam realiter ab actu diſtinctam; *ſecundò* quia eſt ordinatus ad dandam potentiæ facilitatem in qua eſt difficultas: & ad eam proportionandam cum actu. Quæ omnes imperfectiones cum Intellectu & Voluntate Diuina perfecta & infinita in ſua linea, non ſunt compatibiles: vnde non tantùm realiter ſed etiam virtualiter, Potentiæ Diuinæ proximè Operatiuæ identificantur tam cum proportione ad actum, quàm cum facilitate ad eliciendum actum, aliàs ſine his ſuæ lineæ debitis perfectionibus, virtualiter priuatiuè eſſent imperfectæ.

XI. DEVS cognoſcit ſeipſum. Quia *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* 1. ad Corint. 2. & iſta Cognitio non inuolit imperfectionem T. q. DEVS eſt naturæ cognoſcitiuæ. T. q. Summa felicitas in DEI cognitione conſiſtit. T. q. inter omnia Obiecta cognoſcibilia, ipſemet Deus maximè eſt propitionatus ſuo actualiſsimo & immaterialiſsimo intellectui. T. q. Intellectus Diuinus eſt idem omnibus modis cum DEO: nam intellectus Diuinus identificatur cum ſpecie Impreſſa, ſe tenente ex parte principij, & cum Expreſſa, ſe tenente ex parte termini; ideoq; intelle-

tellectus Diuinus est carens potentialitate: *è contra* Substantia Angeli identificat sibi speciem Impressam, in sui per suam Substantiam cognitione, non tamen Expressam, ideoq; Substantia Angeli non sibi identificatur tanquam obiectum intellectum actu.

XII. DEVS seipsum: & alia à se comprehendit propriâ cognitione. *Ratio primi.* Quia DEVS seipsum cognoscit: & nihil sui latet propriam cognitionem: & illius cognitio tantæ perfectionis est .s. infinitæ, quantam petit Obiecti infiniti cognoscibilitas. T. q. respectu intellectûs creati, cognoscit se esse incomprehensibilem *signatè*: respectu sui intellectus comprehendit se *exercitè*: ideoque Finitus est sibi, *non ex parte Obiecti* vt finitus cognoscatur, *non ex parte modi cognoscendi*, finitudine dicente limitationem efficaciæ infinitæ in cognoscendo; sed finitudine summam perfectamquè à se cognitionem importante. *Vel* Quòd comprehendit se, finitum est sibi, *non Positiuè & propriè* sed *Negatiuè & similitudinariè.* T. q. Infinitum est quod pertransiri non potest: id est, quod in illo primum & vltimum inueneri non potest. Et ista Transitio importat quandam succesſionem in partibus; & hoc modo Deus à seipso pertransiri nō potest *in eße cognoscibili*, iam autem seipsum comprehendere potest, quia ad rationem Comprehensionis sufficit Adæquatio: quia id dicitur comprehendi, cuius nihil est, extra videntem.

XIII. DEVS cognoscit alia à se cognitione particulari: non autem confusâ. *Ratio primi.* Quia Deus cognoscit cognitione particulari virtutem suam, prout Creaturas continentem: *Ratio secundi.* Quia cognitio confusa importat solum rationem communem, in qua conueniunt; & non importat prædicata, quibus tum à Deo, tum inter se differunt; ideoque ob suam imperfectionem relegatur à Deo, Confusa cognitio.

XIV. Obiectum primarium intellectûs Diuini, non est, vt commune Analogicè Enti creato & Increato: sed solum Ens Increatum. Quia Obiectum Primarium attingibile per se ab aliqua potentia, dat illi specificationem; iam autem, nihil à Deo distinctum, potest intellectui Diuino specificationem tribuere. T. q. Illud primò & per se ab intellectu cognoscitur, cuius specie intelligit: iam autem species quâ Deus intelligit: est sola Diuina Essentia. T. q. Primò & per se intellectum, est perfectio intelligentis: quod respectu Dei, non conuenit Communitati Analogicæ. T. q. Sicut Bonum in communi, abstrahens à creato & increato bono, non est specificatiuum Diuinæ Voluntatis, sed solùm Bonum Increatum: ita & verum, non Analogicum, sed Increatum, specificat intellectum increatum.

XV. Obiectum formale Motiuum Diuini Intellectûs, est sola Diuina Essentia, vt distincta à Relationibus & proprietatibus absolutis. Quia sola Essentia Diuina, vt distincta virtualiter à Relationibus & Attributis, est species, quâ intellectus Diuinus fæcundatur ad intellectionem, & cum

ipso

ipſo ex parte principii ad intellectionem concurrit. T. q. Sicut Volitioni Diuinæ, quia priorem virtualiter præſupponit intellectionem, repugnat ratio Obiecti Motiui, ita & alijs abſolutis perfectionibus. T. q. Species eſt principium Quo, intelligendi ; iam autem Relationes Diuinæ, *Nec* ſunt principium Quo, intellectionis eſſentialis, quia eſſentialia & abſoluta, ſunt priora Notionalibus & Relatiuis. *Nec* intellectionis Notionalis, quia Relatio Paternitatis non eſt principium Quo intellectionis Notionalis, quâ Pater Verbum producit: nam non Paternitati Verbum Diuinum per ſe primò aſsimilatur, ſed ſpeciei Impreſſæ, cuius eſt Species Expreſſa.

XVI. Obiectum Formale primarium terminatiuum intellectûs Diuini, eſt Diuina Eſſentia, vt diſtincta virtualiter ab Attributis & Relationibus. Quia Eſſentia Diuina vt virtualiter ab Attributis diſtincta, attingitur ab intellectu Diuino *Ratione ſui* : tum quia ratione ſui eſt ſpecies, quâ illam Diuinus intellectus intelligit: tum quia eſt maximè proportionata cum intellectu Diuino ; iam autem *Ratione Eſſentiæ* ab intellectu Diuino attinguntur Attributa ; tum quia Eſſentia Diuina ſicut ob infinitatem ſuam in ratione ſpeciei, & ſeipſam, & Attributa & Creaturas, eſt Diuino intellectui Ratio cognoſcendi ; ita ob eandem infinitatem, in ratione Obiecti cognoſcibilis & repræſentabilis, & ſeipſam, Attributa, & Creaturas, eſt Diuino intellectui Ratio Obiectiua attingendi : tum quia ſicuti ex parte Obiecti Eſſentia Diuina eſt intellectui Diuino ratio cognoſcendi Creaturas, quia eas præcontinet ; ita etiam ob præcontinentiã Attributorum in Eſſentia Diuina, idem admittendum : T. q. Eſſentia Diuina eſt tranſcendens omnes perfectiones Diuinas ; ſicut Ens reale ſua inferiora, quorum eſt ſufficiens medium, vt à Noſtro intellectu cognoſcantur.

XVII. DEVS cognoſcit omnes creaturas poſsibiles, non ſolùm ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in Deo, ſed etiam ſecundùm propriam rationem & Eſſentiam, non ſolùm in communi, ſed etiam ſecundùm proprias & particulares rationes. Quia iuxta Eccleſiaſticum 16. *Ecce cælum & cæli cælorum & abyſſus, & vniuerſa terra & quæ in eis ſunt in conſpectu illius.* T. q. DEVS ſuam omnipotentiam comprehendit, prout eſt cauſa creaturarum : iam autem Non ſtat virtutem Cauſæ comprehendi, non cognitis illius ad quæ ſe extendere poteſt effectibus. T. q. Diuina Cognitio vt pote infinita, terminari debet ad omne obiectum, quod eſt actu cognoſcibile ; iam autem, Creaturæ Poſsibiles ſunt entia actu cognoſcibilia : nam in ſtatu Poſsibilitatis ſunt Entia actu *Nominaliter* ſecundùm connexionem prædicatorum eſſentialium : non tamen *Participialiter* ſecundùm exiſtentiã extremorũ in aliqua temporis differentia : ideoque Creaturæ Poſsibiles vt ſunt Entia ſumpta *Nominaliter*, habent realitatem Eſſentiæ, vt actu illis conuenientem ac ſufficientem, vt Obiectiuè ſint

uè ſint vera, & actu in ſeipſis cognoſcantur ab intellectu Diuino.

XVIII. DEVS cognoſcit creaturas poſsibiles in ſeipſo, vt in obiecto primario. 2. & vt in Cauſa priùs cognita. *Ratio primi.* Quia Creaturæ ſunt obiectum ſecundarium: iam autem Omnis potentia attingit obiectum ſecundarium ratione primarij. T. q. à cognitione creaturarum non mouetur Deus, ſed à propria Eſſentia. *Ratio ſecundi.* Quia Creaturæ continentur in Deo tanquam in Cauſa; iam autem, Eo modo vnum in alio cognoſcitur, quo in illo continetur.

XIX. DEVS vt Cauſa creaturarum eſt ab intrinſeco connexus, cum illarum poſsibilitate; ita vt ſi per impoſsibile aliqua illarum redderetur impoſsibilis, Deo aliqua intrinſeca perfectio deficeret. Quia Deus vt Cauſa creaturarum, non eſt ab intrinſeco indifferens ad eſſe & non eſſe talis poſsibilitatis; ideoque ab intrinſeco eſt cum illarum poſsibilitate connexus; iam autem In Cauſa indifferenti ad eſſe & non eſſe effectûs, non poteſt Eſſe effectûs, determinatè cognoſci. T. q. Summæ Neceſsitati Dei & Omnipotentiæ Diuinæ non obſtat connexio cum creaturis poſsibilibus: *partim* quia eſt connexio Cauſæ ſine depēdentia, vt continentis eminenter effectum. Sic vnum relatiuum, eſt cum altero connexum, & Eſſentia vt radix proprietatum, eſt cum illis connexa, & Veritas Principiorum, eſt connexa cum Veritate Concluſionis; & tamen nullibi ex allatis, eſt dependentia: à fortiori Neceſsitas Entis à ſe, nec arguitiuè, & à poſteriori ſeu mediatè, poteſt dependere à Creaturis Poſsibilibus: quia implicat dependentia quæ non ſit formaliter effectus à Cauſa: & hæc reſpectu Dei eſt implicatoria.

XX. DEVS non habet cognitionem creaturarum poſsibilium in ſeipſis immediatè, Motiuè, aut Terminatiuè. Quia cognoſcuntur per ſpeciem, immediatè Deum, & illas mediatè repræſentantem, T. q. Nulla cognitio Diuina poteſt habere pro Obiecto primario creaturas, nam illam ſpecificare non poſſunt; ſicut, nec Bonitas creata poteſt ſpecificare actum Voluntatis Diuinæ.

XXI. Scientia Dei per modum actûs ſecundi, virtualiter diſtinguitur à lumine principiorum; 2. non verò à Sapientia. *Ratio primi.* Quia Obiectum formale Luminis Principiorum, ſunt principia vt immediatè vera, & in ſe cognoſcibilia; Obiectum formale ſcientiæ, eſt veritas Concluſionis, vt ex principiis deducta; iam autem In Deo diſtinguuntur virtualiter, quæ in creatis diſtinguuntur ex propriis conceptibus eſſentialiter. T. q. In Deo vnum idemque principium Radicale, fundat plura Principia Proxima virtualiter diſtincta .ſ. Natura Diuina fundat Potentiam Intellectiuam & volitiuam; ita pariter vnum idemque principium proximum, fundat proximè plures actus virtualiter inter ſe diſtinctos. T. q. propter realem identificationem ſcientiæ cum Lumine principiorum ob lineam infinitatis excluditur omnis imperfectio à ſcientia Diuina. *Ratio*

ſecundi.

secundi. Quia sola scientia Diuina formalissimè considerat causas altissimas.

XXII. Scientia Diuina non multiplicatur attributaliter, iuxta numerum scientiarum, quæ in creaturis reperiuntur. Quia scientia Diuina est formaliter in ratione scientiæ infinita: ideoque se extendit absque virtuali multiplicitate ad omne scibile. T. q. scientiarum creatarum rationes formales *sub Qua*, important potentialitatem: ideoque ex vi huius essentialis imperfectionis, non habent locum in Deo secundùm quòd inter se distinguuntur: vnde præcisis abstractionibus seu modis, quibus sua respiciunt Obiecta, solus manet in illis conceptus communis scientiæ: ratione cuius satiùs conuenire non autem virtualiter differre asserũtur.

XXIII. In DEO non est ponenda intellectio absoluta, virtualiter distincta ab attributis enumeratis. Quia omnis cognitio Diuina vel est practica vel speculatiua: si primum; erit formaliter vel Prouidentiæ vel Artis: si secundùm; necessariò debet esse vel Luminis principiorum, in quantùm attingit principia indemonstrabilia; vel scientiæ formaliter, in quantùm attingit Conclusiones vt in principio: in Deo enim non datur simplex apprehensio, sed perfectum iudicium, attingens vel principia indemonstrabilia, vel Conclusiones. T. q. etiam in Angelico vel humano intellectu, nullus actus iudicatiuus, certus & euidens est, qui non sit vel Luminis Principiorum vel scientiæ formaliter. Ergo pariter. T. q. vltra Obiectum scientiæ Diuinæ .s. vltra perfectiones vt scientificè demonstrabiles: & vltra Obiectum Luminis principiorum .s. vltra naturam Diuinam sub conceptu radicis, non datur tertium obiectum quòd posset specificare Intellectionem absolutam virtualiter distinctum à Lumine principiorum & scientia. Hoc enim esset Ens Diuinum vt sic, quod cùm sit indemonstrabile, eo ipso attingi petit ab actu euidenti iudicatiuo Luminis principiorum *exercitè*: *signatè* tamen importat intelligibilitatem vtrique Obiecto communem, ob transcendentiæ suæ formalitatem.

XXIV. In DEI scientia, non datur discursus formalis 2. benè tamen Virtualis. *Ratio primi.* Quia Deus vnicâ realiter cognitione indiuisibili omnia cognoscit; iam autem Ad discursum formalem requiritur realis multitudo cognitionum, quarum vna ex alia realiter causatur T. q. Discursus formalis, est motus ad ignotum de noto; iam autem, Diuino intellectui nihil est ignotum: Nec eidem conuenire potest in linea cognoscibili, procedere de potentia ad actum: quòd est discurrere formaliter. *Ratio secundi.* Quia non repugnat Deo virtualis causalitas vnius cognitionis in aliam: vt patet in Natura Diuina virtualiter influente in Attributa: & in Lumine Principiorum respectu scientiæ Diuinæ: vnde sicut Obiectum Luminis Principiorum continet in se Obiectum scientiæ, ita Actus primus cognitionis, continet in se alterum: in nobis realiter efficienter, in Deo & Angelis virtualiter. T. q. sicut Deo non repugnat vir-

tualis

ctualis compositio; Non Compositio Rationis *simpliciter talis*, ex conceptibus Obiectiuis, mutuò se excludentibus, explicitè & implicitè: sed tantùm Compositio Rationis *secundùm quid talis* ex Conceptibus mutuo se actu implicitè includentibus: qualis est inter Ens & modos quasi contractiuos illius; ita etiam non repugnat Deum virtualiter componere in intelligendo, sic vt cognitio prædicati, non excludat implicitè cognitionem subiecti.

XXV. Diuisio Scientiæ D E I in Scientiam Visionis & simplicis Intelligentiæ, non differunt tanquam duo attributa, sed sunt vnicum & indiuisibile attributum 2. ipsa tamen Diuisio est adæquata. *Ratio primi* Quia Obiectum scientiæ Visionis & simplicis Intelligentiæ est vnum; nam Deus in seipso, tanquam in Obiecto primario priùs cognito, & tanquam in Causa, cognoscit tam Creaturas existentes quàm Possibiles T. q. ideo respectu Naturæ aliam, & respectu Attributorum aliam ponimus in Deo virtualiter distinctam cognitionem attributalem: quia respectu Luminis Principiorum se habet Natura Diuina *vt Quo* & *vt Quod*: & respectu attributorum per scientiam Diuinam *vt Quod* attactorum, se habet tantùm *vt Quo*; iam autem respectu cognitionis creaturarum, tam vt Quo quàm vt Quod, Obiectum primarium, est Diuina Essentia. Et idem de Ente reali se habente *vt Quo*, in cognitione Entis Rationis, est pariformiter dicendum. T. q. Omnipotentia in qua Deus cognoscit Creaturas Possibiles, & Decretum Diuinum in quo intuetur futura, differunt virtualiter tantùm *in esse Entis*: at *in ratione Obiecti* scientiæ Diuinæ, conueniunt formaliter, ob eiusdem immaterialitatis formalitatem. T. q. Istæ: *Scientia simplicis Intelligentiæ, est causa rerum, in primo tantùm, & non in secundo actu: Scientia Visionis, est causa rerum, in secundo tantùm & non in primo actu*: important differentiam secundùm intrinseca: *quoad terminationem*: non verò *quoad actualitatem & perfectionem*: quæ diuersa actualitas debet desumi ex diuerso Obiecto primario: quod deest in præsenti materia. *Ratio secundi* Quia inter Obiectum simplicis Intelligentiæ, quod est, *Res non existens exercitè*; & inter Obiectum Visionis quod est *Res existens exercitè* non datur medium Tum quia futura conditiota, quorum conditio nunquam extra causas ponenda: qualia sunt *Væ tibi Corozaim* &c. non ad aliquam mediam, sed ad scientiam simplicis Intelligentiæ pertinent, *partim* quia Obiectum scientiæ simplicis Intelligentiæ *Principale*, est entitas possibilis; non tamen obiectum est *adæquatum*: *vel partim* quia Entitas impossibilis, est obiectum simplicis Intelligentiæ *Necessariæ*, non vero simplicis Intelligentiæ *Liberæ*: *vel* vt à Necessaria & Libera abstrahentis: vnde conceptus simplicis notitiæ seu Intelligentiæ vt sic, est, quòd sit abstractiua, terminata ad obiectum, physicè extra causas non existens: ista diuiditur, in Necessariam & Liberam: prima, terminatur ad purè possibile; & secunda, ad futurum sub conditione, quod physicè extra Causas

non

non exiſtit. T.q. Ipſa etiam Entia rationis, ſi ſunt in ſtatu Poſsibilitatis ſuæ potentiæ: ad Scientiam Intelligentiæ; ſi ſunt in ſtatu Exiſtentiæ : ad ſcientiam Viſionis ſpectant, quam intuitiuè terminant ratione actûs, qui continetur & menſuratur æternitate. T. q. Scientia Approbationis non eſt diſtinctum membrum ab aſsignatis: quia ſcientia Approbationis *ſimpliciter talis* eſt ſcientia Viſionis, connotando ordinem ad decretum abſolutum, & efficax Diuinæ Voluntatis; iam verò ſcientia Approbationis *ſecundùm quid talis*, eſt ſcientia ſimplicis notitiæ Liberæ, quæ per ordinem ad Obiectum, *Abſtractiua* dicitur : & per ordinem ad decretum efficax conditionatum, *Approbationis* vocatur.

XXIV. DEVS cognoſcit per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ, quidditates poſsibiles quæ aliquando erunt. Quia tales Quidditates poſsibiles terminant neceſſariam Dei cognitionem, ex connexione ſuorum prædicatorum eſſentialium: quæ ſicut Deus cognoſcebat quoad ſuas Quidditates pro priori ante Decretum, quod habuit de Exiſtentia ipſorum: ita etiam in inſtanti talis Decreti, eaſdem cognoſcit per ſcientiam Intelligentiæ. T. q. Quidditas rei conſtituitur per Liberum Decretum Voluntatis Diuinæ, *vel* ſub abſoluta negatione exiſtentiæ ſeu nō futuritionis *vel* ſub affirmatione futuritionis: ideoque obiectum ſcientiæ ſimplicis, non eſt quidditas rei, ſub abſoluta negatione exiſtentiæ, conſequenter Decretum de illius futuritione, non tollit quin pro eodem inſtanti terminet ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ. T. q. De ratione ſcientiæ ſimplicis Abſtractiuæ eſt, quod ſit cognitio rei abſentis, non reali abſentiâ *exercita* in re; ſed abſentiâ *Negatiuâ* Obiectiuâ; vnde Creaturæ Poſsibiles, in illo inſtanti Decreti de futuritione ipſarum, redduntur præſentes in æternitate, non præſentialitate illis eſſentiali, cognoſcibili per illarum Quidditatiuam cognitionem; ſed præſentialitate Accidentali; ideoque Scientia Viſionis, ex exercita præſentia, eſt intuitiua: & ſcientia ſimplicis Intelligentiæ eſt abſtractiua, ex abſentia Negatiua Obiectiua. T. q. Res phyſicè exiſtens non poteſt cognoſci vt poſsibilis pro inſtanti in quo exiſtit: ſumptâ poſsibilitate *Pro Potentia* ad exiſtendum & non exiſtendum : non verò ſumptâ Poſsibilitate *Pro Nonrepugnantia* ad exiſtendum, quia quando non exiſtit, habet Nonrepugnantiā ad exiſtendū.

XXV. DEVS cognoſcit per ſcientiam Viſionis poſsibilia, quæ non ſunt futura, quatenus non futura. Quia negatio licet cognoſcatur per ſuum poſitiuum tanquam per medium & rationem formalem, eiuſdem ſcientiæ; tamen quoad rationem *intuitiui & abſtractiui*: diuerſas terminant ſcientias: ſic Entitas poſsibilis, cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ, & Negatio futuritionis de tali entitate, cognoſcitur per ſcientiam Viſionis: *ſic* Deus cognoſcit ſuam Omnipotentiam tanquam cauſam poſsibilium *intuitiuè*: & in ipſa poſsibilia *Abſtractiuè*: *ſic* attingit Decretum Liberum tanquam medium de rerum futuritione, Intuitiuè:

 & Nega-

& Negationem illius (vt docet Caietanus) Abstractiuè: consequenter ista v. g. *negatio futuritionis* alterius mundi, quem Deus decreuit non fore; sequitur leges sui positiui, quoad Speciem actûs, per quem tàm Affirmatio, quàm Negatio cognoscitur: non verò quoad denominationem actûs ex parte rei attactæ & scitæ: & sic, Negatio potest cognosci *intuitiuè*, quia in seipsa est existens, & vt existens cognoscitur: & potest cognosci *abstractiuè*, quia vel non existit, vel vt existens non cognoscitur. T. q. Intuitiuum & Abstractiuum diuersificant actus secundùm speciem: quando æque primò & immediatè desumuntur ab Obiecto primario: iam autem in præsenti vnum desumitur ex parte Obiecti primariò attacti, alterum verò ex Obiecto secundariò attacto. T. q. Notitia Intuitiua essentialiter habet respectu Absentiæ Obiecti, illam attingere *vt Quod*: sicuti quando tenebras attingimus *vt Quod*: similiter notitia Abstractiua essentialiter habet, quod sit notitia rei physicè absentis: sic, quando lucem absentem cognoscimus, non cognitâ *vt Quod* & exercitè eius absentiâ, solùm habemus abstractiuam notitiam quæ attingit Absentiam obiecti exercitè & *vt Quo*. T. q. Negatio est purum *Nihil* prout opponitur Enti reali; habet tamen Existentiam realem Negatiuam seu remotiuam cuius est capax. Sic *Impossibile* essentialiter quia est existens existentiâ Negatiuâ cuius est capax intra statum Negationis futuritionis; ideo terminat scientiam intuitiuam: è contra *Possibile* quia est non existens intra statum Possibilitatis Existentiâ Positiuâ cuius est capax, ideo tantùm terminat scientiam abstractiuam: vnde *Possibile* in statu possibilitatis, ante omne decretum solùm habet negationem futuritionis *Nonrepugnanter*: non autem *negauter*: nam Negatio existit, quando subiectum est, sub negatione formæ; consequenter quoad rationem Intuitiui & Abstractiui Negationes per aliam, Affirmationes per aliam ex parte obiectorum attactorum sibi subordinatorum possunt attingi cognitionem, in Diuina scientia.

XXVI. Facultas proxima executiua Dei, ratione ratiocinatâ distinguitur ab Essentia Diuina, tanquam attributum illius. Quia sicut vis proximè v. g. Intellectiua quæ *Verum*, & Volitiua quæ *Bonum* pro Obiecto respicit, differunt Virtualiter ab Essentia, quæ vel à nullo specificatur, vel specificatur à propria existentia specificatione virtuali; ita vis proximè productiua Creaturarum seu Omnipotentia quia specificatur virtualiter *vel* à Creaturis, vt alij volunt: *vel* à Diuina Essentia prout est ratio Obiectiua producendi Creaturas: *vel* ab actuali illarum productione tanquam ab actu, ideo ex distincto Virtualiter Obiecto, ab Obiecto Essentiæ Diuinæ, virtualiter ab Essentia Diuina distinguitur. T. q. Potentia productiua & essentia in creaturis distinguuntur, non solùm ex limitatione sed etiam ex propriis formalibus conceptibus: consequenter translata in Deum Virtualiter distinguuntur.

XXVII. Vis proximè productiua creaturarum ad extra, non est attribu-

tributum distinctum ab intellectu & voluntate. Quia vis proximè executiua etiam in Angelo (cui tantùm Spirituales debentur potentiæ) non est distincta ab intellectu & voluntate. T. q. Omnipotentiæ seu facultati proximè productiuæ, nequit correspõdere Actio specificatiua quæ nõ sit Actio formaliter Immanens: iam autẽ Omnis actus in Natura Intellectuali formaliter Immanens, est formaliter actus vel Intellectûs vel voluntatis. T. q. Obiectum specificatiuum Omnipotentiæ, non potest assignari distinctum Virtualiter ab obiecto intellectûs & voluntatis: *Non Creaturæ*, quia istæ secundùm specificationem formalem obtinerent rationem causæ respectu specificati: & secundùm specificationem virtualem, non deberent distingui realiter ab Omnipotentia: vt defacto distinguuntur *Non Essentia Diuina* quia hæc *vel* est ratio factibilium quatenus habet rationem vltimi finis, & sic pertinet ad rationem boni, *vel* est omnium exemplar & idea; & sic pertinet ad rationem veri practici T. q. Nec ex eo Omnipotentia petit distingui ab intellectu & Voluntate: quia Omnipotentia, Intellectus, & Voluntas, correspondent Potentiæ productiuæ, Intellectui & voluntati in creatis: nam etiam Speculatiuum & Practicum in creatis essentialiter realiter distinguuntur, & tamen iuxta sententiam probabilem, scientia Speculatiua & Practica attributaliter in Deo non distinguuntur. Nec ex eo quòd Conceptus Omnipotentiæ explicitus non importat explicitum conceptum Intellectus & Voluntatis: nam Paternitas in Diuinis quatenus Relatio est, non explicat personalitatem, nec generationem actiuam, & è contra: & tamen ista non distinguuntur adæquatè; consequenter Omnipotentia non explicans conceptum Intellectus & Voluntatis, habere non potest ab illis distinctionem virtualem adæquatam, benè tamen inadæquatam.

XXVIII Omnipotentia non consistit formaliter in Voluntate & Intellectu adæquatè & ex æquo: 2. sed in intellectu: 3. non secundum sed primum actum dicente. *Ratio primi* Quia vis executiua est simplex attributum in Deo. Et ipsa Actualis productio est simplex actio. *Ratio secundi.* Quia Deus ad extra operatur per perfectiorem potentiam, tanquam per principium executiuum, in quo perfectior est præcontinentia creaturarum: iam autem Intellectui formas aliarum rerum in se habenti hoc cõpetit: non verò Voluntati quæ fertur ad res. *Ratio tertij.* Quia intellectus prout dicit actum secundum, obtinet essentialiter rationem actûs: sicut in actu primo obtinet rationem potentiæ; iam autem vis productiua Creaturarum, est per modum potentiæ: sicut & ratio potentiæ generatiuæ ad intra consistit in intellectu per modum potentiæ considerato.

XXIX. Actualis productio seu executio creaturarum, est formaliter actus Scientiæ Diuinæ Practicæ: vnde etiam executiuè concurrit. Quia Actualis productio creaturarum, est formaliter actus intellectûs: *Non* Luminis principiorum, quæ erga Deum: *Non* prudentiæ quæ erga agibilia:

consequenter Artis, seu Practicæ Scientiæ quæ erga factibilia versatur: Et iste actus quo creaturæ producuntur, est Imperium: non prout est erga agibilia: quia sic est pars prouidentiæ, ac perconsequens prudentiæ: sed prout est erga factibilia: quia sic est actus Artis & Scientiæ Practicæ.

Futurorum contingentium scientia, has habet conclusiones.

1. REm esse futuram, dicit de formali præparationem & determinationem causarum, ad illius productionem. Quia *Rem esse futuram*, est aliquid reale, ac perconsequens à forma reali debet prouenire: Non à forma rei futuræ quæ tempore futuritionis in se est nihil Ergo *Rem esse Futurã*, est extrinseca forma rei, quæ futura denominatur.

II. Solùm ex ordine ad Decretum Diuinum dicitur aliquid futurum simpliciter, id est omnibus modis. Quià solùm id potest dici & esse futurum omnibus modis, ad cuius productionem omnes causæ necessariæ sunt ordinatæ & dispositæ; hoc autem solùm à Diuino Decreto præstari potest.

III. Ex ordine ad causas secundas, necessariò & immutabiliter operantes, dicitur aliquid Futurum simpliciter id est absolutè: 2. ex ordine ad causas contingentes propensas, dicitur Futurum cum addito 3. ex ordine ad causas contingentes ad vtrumlibet, nullatenus dicitur aliquid futurum. *Ratio primi*. Quia quod habet *Esse* in causa necessariò & immutabiliter operante, est determinatum *simpliciter* vt fiat: & potest cognosci quòd *Erit*, certitudine scientificâ: & attentis omnibus circumstantiis & Causis naturalibus, solùm miraculosè potest ab executione impediri: ideoque absolutè futurum est. *Ratio secundi* per oppositum. Quia quod habet *Esse* in Causa contingenti, non est determinatum, nisi *secundùm quid* vt fiat, & non potest certitudine scientificâ cognosci quòd *erit*: & per causas naturales potest ab executione impediri. *Ratio tertij* Quia in Causis contingentibus ad vtrumlibet propensis, effectus nullam habet determinationem aut certitudinem.

IV. Futura Contingentia conditionata, connexa moraliter cum conditione, cognoscuntur à Deo ex vi conditionis, certò certitudine physicâ ex parte *Subiecti*, & Morali ex parte *Obiecti*. Quia Conditionatum illud, *futurum esse certò moraliter*, est omnino verum: quod etsi possit physicè non euenire, Moraliter tamen non potest. T. q. dato antecedente inferente Moraliter, non est minùs certum consequens moraliter esse futurum, quàm quòd dato antecedenti inferente euidenter quòd consequens sit absolutè futurum.

V. Futura conditionata coniecturaliter cum sua conditione connexa, cognoscuntur à Deo ex vi conditionis cognitione *Metaphysicè* certâ ex par-

ex parte subiecti, & *coniecturaliter* ex parte Obiecti. Quia effectum esse coniecturaliter futurum, sub conditione cum qua habet connexionem probabilem, est veritas infallibilis & necessaria, sicut Syllogismum probabilem est necessarium, probabilem inferre Conclusionem & scienntificum scientificam.

VI. Futura conditionata disparata, non possunt vt vera à Diuino intellectu cognosci. Quia talis propositio disparata, nec est vera nec falsa, ac per consequens incapax assensûs Diuini intellectûs.

VII. Omnia alia conditionata futura, cognoscuntur à Deo nôn solùm cognitione certâ moraliter aut coniecturaliter, sed etiam cognitione omnino infallibili, vel vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa. Quia testimonia sacræ scripturæ in quibus reuelantur futura conditionata, aptiùs interpretantur de cognitione omnino infallibili, quàm de cognitione certa solùm moraliter. T. q. Inter *eße* & non *Eße* futurum, non potest dari medium pro instanti reali (etsi posit dari medium pro priori rationis) sed in illo, aut est futurum aut non est futurum: vnde si sit reuerâ futurum sub conditione, Propositio affirmans est vera, & negans, est falsa; Si autem futurum non sit, Affirmatiua est falsa; & Negatiua est vera.

VIII. Conditionata contingentia non possunt certò & infallibiliter cognosci à Diuino intellectu in Causis liberis seu contingentibus, vt præueniunt determinationem Diuinam. Quia effectus contingentes, prout in Causis, non habent determinationem ad esse, sed indifferentiam ad *eße* & *non eße* T. q. Deus non potest cognoscere certò & infallibiliter actus liberos vt conditionatè futuros, nisi suum concursum etiam sub conditione futurum cognoscat: quem tamen iuxta P. Molinam, non potest DEVS cognoscere, & vt futurum sub conditione attingere.

IX. Nullum futurum conditionatum, potest vt verum à Diuino intellectu cognosci, certitudine omnino infallibili, nisi præsupposito decreto libero, existente exercitè in Deo. Quia *Rem eße futuram sub conditione*, est aliquid reale extrinsecum; nulla autem forma est, à qua talis denominatio desumi posit, nisi Decretum liberum.

X. Decreta subiectiuè absoluta, & conditionata Obiectiuè, sunt in Diuina Voluntate admittenda. Quia implicat aliquid dici aut esse conditionatim futurum, nisi dependenter à Decreto Diuino, actu exercitè præsupposito in Deo: sed non à Decreto Subiectiuè & Obiectiuè absoluto. Ergo à Decreto Subiectiuè tantùm absoluto & Obiectiuè conditionato. Et tales sunt Promisiones Diuinæ, in quibus promittuntur vitæ æternæ gaudia omnibus hominibus sub conditione perseuerantiæ.

XI. Decreta conditionata sunt ex se & ab intrinseco efficacia, & prædeterminantia efficaciter. Quia Decreta Diuina, sunt prima ratio discernendi consentientem à Nonconsentiente: quòd habent ex intrin-

fecâ efficacia, ratione cuius creatam Voluntatem Deo subordinant.

XII. Hæc conditionata positiuè futura, cognoscuntur à Deo, in Decreto efficaci subiectiuè absoluto, & conditionato Obiectiuè. Quia quidquid Deus extra se cognoscit, attingit in se, & intra se, ex parte medij cognoscendi. T. q. Ab ijsdem causis dependet contingentia in cognosci, à quibus in esse dependet: iam autem, futura conditionata dependent in esse, à Decreto Libero Dei, subiectiuè absoluto.

XIII. Datur in Deo decretum efficax, ad materiale peccati, à malitia formali præscindens. Quia Materiale peccati terminat complacentiam Diuinam, quin illam terminet malitia formalis. T. q. DEVS vult Voluntate inefficaci antecedenti, materiale peccati, & non vult malitiam formalem T. q. Deus præmouet Voluntatem ad materiale peccati, non præmouendo ad formale: & concurrit concursu determinato ad materiale peccati vt ab ipso: non autem ad malitiam.

XIV. Scientia futurorum conditionatorum contingentium, non est naturalis, nec media, sed perfectè & simpliciter libera. Quia Scientia ista Decretum Liberum supponit, & illi innititur. T. q. Potuit Deo non conuenire: at non ab extrinseco, consequenter perfectè libera. T. q Terminatio intellectûs Diuini ad veritatem conditionatam, est prouida absolutè: conuenitq; Deo euitabiliter ab intrinseco: estq; à Deo vt à principio absolutè indifferenti.

XV. Scientia media non est necessaria ad conciliandam Gratiæ efficaciam cum nostra libertate. Quia Diuus Augustinus conciliauit strictè Efficaciam Gratiæ, cum nostra libertate; & tamen scientiæ Mediæ non meminit. T. q. in statu conditionato, in quo obiectum scientiæ Mediæ intelligitur antecedere, præintelligitur efficax gratia: & tamen in illo statu illæsa manet arbitrij libertas T. q. Efficacia inferens & causans nostram libertatem, non potest illam destruere; iam autem talis est Efficacia Gratiæ, independens à Scientia Media.

XVI. DEVS Futura Absoluta contigentia cognoscit in Decreto Prædiffinitiuo Quia futura omnia contingentia cognoscuntur à DEO in sua Essentia tanquam in Causa, & Obiecto priùs cognito; at non secundùm formalitates necessarias. Ergo liberas. T. q. Decreto libero nihil deest vt sit medium cognoscendi in quo Deus futura contingentia cognoscat, cùm habeat necessariam ex suppositione quòd sit cum Creaturis connexionem.

XVII. Scientia simplicis Intelligentiæ concurrit actualiter ad productionem creaturarum, dirigendo remotè & mediatè: 2. & Scientia libera Visionis, est Causa immediata Creaturarum, & proxima regula productionis ipsarum. *Ratio primi*. Quia sicut in artifice creato scientia artificis concurrit ad artificiata, remotè dirigendo: tum quia electionem regulat: tum quia modum quo opus est factibile, ostendit; ita & in DEO scien-

ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſe habet,quæ etiam ſuo conſilio ad productionem creaturarum concurrit. *Ratio ſecundi.* Quia Imperium concurrit ad productionem creaturarum: iam autem Imperium eſt ſcientia Viſionis. T. q. perfectior Modus directionis eſt Deo attribuendus: & talis habetur per ſcientiam Viſionis.

XVIII. Omnia futura contingentia, phyſicè coexiſtunt Deo, in menſura æternitatis. Quia Æternitas eſt duratio infinita indiuiſibilis & tota ſimul: ac perconſequens, ratione *infinitatis* continet omnem menſuram durationis inferioris: & ratione *ſimultatis* omnibus durationibus inter ſe ſuccedentibus abſq; ſucceſsione ab æterno coexiſtit.

XIX. Ad certitudinem cognitionis Diuinæ futurorum contingentium, neceſſaria eſt ipſarum Phyſica Præſentia in æternitate, reſpectiuè ad cauſas contingentes: 2 ipſa tamen Præſentia Phyſica in æternitate non eſt vnicum medium, ad certam cognitionem requiſitum: 3. benè tamen ad Intuitiuam exactum. *Ratio primi.* Quia ex medio & cauſa vt indifferenti, non poteſt aliquid cognoſci determinatum. Ergo contingens non prout intra, ſed prout eſt extra Cauſas poteſt ſui certam cognitionem terminare, conſequenter cū nō in propria menſura extra illas, ſed tantùm in menſura extrinſeca ſuperiori .ſ. in æternitate exiſtat, fit quòd Præſentia ipſorum in æternitate ſit neceſſaria vt certò cognoſcantur ab intellectu Diuino. *Ratio ſecundi.* Quia non tantùm in Æternitate Præſentiam Phyſicam contingentium præcontinente, ſed etiam in Ideis Diuinis ſuperaddito Diuinæ Voluntatis propoſito, contingentia futura poſſunt certò cognoſci: nam Decretum efficax Diuinæ Voluntatis, infallibiliter eſt connexum cum futuritione contingentium: iſta autem connexio Decreti Diuini cum futuritione ſubſiſtere nequit, niſi Decretum ſit æternum, ideoq; Decreti æternitas eſt neceſſaria ad infallibilitatem Diuinæ Cognitionis. *Ratio tertij* Quia de ratione notitiæ intuitiuæ eſt, vt terminetur ad obiectū extra cauſas exiſtens, ac conſequenter in aliqua duratione; Ergo quia futura ab æterno non exiſtunt in propria menſura durationis, ideo vt ab æterno terminent intuitiuam notitiam, neceſſaria eſt ipſorum in menſura æternitatis præſentia phyſica.

I. IDEÆ ſunt admittendæ in intellectu Diuino. Quia Agens intellectuale nequit formam intendere, niſi in ſe habeat formæ ſimilitudinem, quam exprimere intendit in effectu, *vel* in eſſe intelligibili vel in eſſe Naturali; ideoq; Idea eſt forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem; & hoc totum reperitur in Deo.

II. Ratio Idearum Diuinarum non in Creaturis vt obiectiuè cognitis à Deo: 2. ſed in aliquo increato conſiſtit. *Ratio primi.* Quia inter Ideam & ideatum debet interuenire realis diſtinctio: iam autem Creaturæ vt obiectiuè cognitæ à Deo non diſtinguuntur à ſeipſis realiter exiſtentibus. T. q. Idea ſeu Exemplar eſt finis, quem ſibi artifex præfigit ſuæ operatio-

 nis:

ris; iam autem repugnat Deo agere propter finem distinctum à se *Ratio secundi* ex iisdem per oppositum habetur rationibus T. q. Inter Increatum & Creaturas interuenit realis distinctio, cum conuenientia Analoga T. q. Omnia propter semetipsum operatur Dominus.

III. Essentia Diuina sub ratione Essentiæ, est Idea Obiectiua: 2. sub ratione Verbi, est Idea formalis non absolutè: 3. sed cognita vt comparata cum creaturis: 4. prout diuersimodè imitabilis ab illis. *Ratio primi* Quia sicut apud artificem creatum, exemplar externum, obtinet rationem ideæ, ideo, quia vt obiectum cognitum, mouet & dirigit ipsum, vt formet conceptum practicum formandi artificiati: iam autem Diuina Essentia vt obiectiuè cognita à Deo, Diuinum intellectum & mouet & dirigit tam ad speculatiuam quàm ad Practicam creaturarum cognitionem, & modi productionis illarum. T. q. Id quod aliud præcontinet perfectè, potest accipi vt propria ratio illius; iam autem Diuina Essentia continet actu perfectè omnes creatas perfectiones. *Ratio secundi.* Quia Verbum in artifice creato, ideo est formalis idea, quia intellectui artificis repræsentat artificiatum formandum, & modum formationis illius: iam autem Diuina Essentia vt Verbum, perfectissimè repræsentat creaturas: cum hoc discrimine, quia Verbum creatum immediatè, Essentia Diuina mediatè repræsentat creaturas, & seipsam immediatè. Verbum creatum seu exemplar externum, concursum præbet in artifice creato *per Accidens* s. propter imperitiam artificis; secus dum est perfectus artifex: iam autem Essentia Diuina vt idea Obiectiua, præbet concursum *per se*, quia est obiectum priùs cognitum, immediatè repræsentatum, ideoq; nisi mediante suâ Essentiâ supremus artifex Deus, potest creaturas causare, priùs concipiendo & intelligendo creaturas & modum producibilitatis illarum. *Ratio tertij.* Quia idea non est forma aut similitudo quomodolibet imitabilis, sed imitabilis *exemplariter*: iam autem non potest esse imitabilis exemplariter, nisi vt inspecta & cognita ab artifice, ad quam ille respiciens, aliquid operatur. *Ratio quarti* Quia in Deo sunt plures ideæ; vnde si Diuina Essentia esset vt idea imitabilis à creaturis absolutè, nulla distinctio importaretur in Essentia Diuina, vt diuersimodè imitabili à creaturis in particulari; iam autem Idea debet accipi vt formalis & propria ratio creaturæ. Quòd autem dentur plures ideæ in Deo: *ideo est.* Quia Diuina Essentia non sortitur rationem ideæ, nisi cognita vt imitabilis à creaturis in particulari: & cum illis in particulari proportionata: iam autem Creaturæ secundùm vltimas differentias diuersimodè imitantur Diuinam Essentiam.

IV. Essentia Diuina non est idea Filij, aut Spiritûs Sancti, nec Filius habet ideam in intellectu Patris æterni, nec Spiritus Sanctus in intellectu Patris & Filij. Quia idea habet rationem causæ exemplaris, respectu ideati: iam autem Diuina Essentia in generatione Filij, & Processione Spi-

ritûs

ritûs Sancti, non habet rationem cauſæ. T.q. Idea eſt forma ad quam reſpiciens artifex operatur: Iam autem, Pater reſpectu Filij, non eſt artifex, nec cauſa, ſed principium, [& idem dicendum de Spiritu Sancto] T. q. Idea eſt forma determinans agens, quod operatur ex intentione finis: iam autem Deus ad intra agit, ex neceſsitate naturæ.

V. DEVS habet ideas purè poſsibilium, quæ tamen non ſunt practicæ, niſi virtualiter, & in potentia. Quia Deus cognoſcit entia, quæ nec fuerunt, nec erunt, de quibus tamen habet cognitionem virtualiter practicam, conſequenter de illis habet ideam, virtualiter practicam: ſicut habet ideam formaliter practicam, de his quæ ſunt, fuerunt, vel erunt: vnde idea futurorum, eſt principium productionis; iam autem Poſsibilium, eſt ratio cognitionis.

VI. DEVS non habet in ſe ideam propriam, nec Materiæ primæ: 2. nec Mali, peccati, & priuationum: 3. nec formarum corruptibilium: 4. iam autem omnium ſpecierum & omnium ſingularium habet propriam formam. *Ratio primi.* Quia propria forma & idea, eſt reſpectu eorum, quæ ſunt per ſe factibilia: iam autem Materia prima per ſe non eſt factibilis, vt pote carens Exiſtentiâ, quæ eſt terminus actionis productiuæ; ideoq; niſi largè habet ideam, in quantùm eſt cognoſcibilis cum ordine ſibi eſſentiali ad formam: vnde per quam ideam propriè cognoſcitur compoſitum, per eandem cognoſcitur materia. *Ratio ſecundi.* Quia Deus habet ideam ſolùm eorum, quæ pertinent ad eius artem vel ſcientiam practicam: iam autem Mala, peccata, priuationes, non pertinent ad artem Diuinam, ideoque ſolùm cognoſcuntur ratione formarum quibus priuant. *Ratio tertij.* Quia idea reſpicit rem prout eſt producibilis in Eſſe; iam autem Formæ corruptibiles, ſunt tantùm producibiles in compoſito: ideoque per ideam compoſiti cognoſcuntur. *Ratio quarti.* Quia Prouidentia Diuina non ſolùm ſe extendit ad ſpecies ſed etiam ad ipſa ſingularia quæ cauſat.

I. DEVS EST VERITAS. Quia *Eſſe Diuinum* non ſolùm eſt conforme ſuo intellectui, ſed etiam eſt ipſum *ſuum intelligere*; quod eſt menſura & cauſa omnis alterius Eſſe, & omnis alterius intellectûs. VNA. quia ab ipſa tam Veritates quæ ſunt in rebus, quàm quæ ſunt in intellectu proceſſerunt, ideoque ſecundùm Vnam Veritatem Intellectûs Diuini, omnes res denominantur Veræ. ÆTERNA. quia intellectus Diuinus eſt æternus, IMMVTABILIS. quia in intellectu Diuino nec poteſt eſſe alternatio opinionum, nec eius acceptionem poteſt ſubterfugere res aliqua.

DEVS EST VITA. Quia eius natura, eſt ipſum illius Intelligere, Et quia id quod naturaliter habet, non determinatur ab alio. Et quia per ipſum & in ipſo, omnia quæ facta ſunt, habent Vitam, vt potè præcontenta in Eſſentia Diuina, quæ eſt maxima Vita. Ad quam nos perducat IESVS CHRISTVS. Amen.

Disputabuntur publicè in Conuentu Sanctissimæ TRINITATIS. Anno Domini 1690. Die Mense Obiectis Satisfaciet Religiosus Fr. CASIMIRUS DALCZEWSKI Diaconus S. Th. Studẽs, Ord: Prædicat. Sub Assistentia A. R. P. REGENTIS.

Ad Laudem DEI, & Doctoris Angelici Honorem.

~~Frydrychowicz Dominici~~

~~Tractatus theologicus de divina scientia, ideis, veritate ac vita increata.~~